

G arguntur, ut sciant cui bono preparantur, ut non aspere accipiant: certi quia pro salute sua corripuntur, & ut ad malum tardi sint, ad bonum vero parati, non nesciunt quid singulis per se oporteat. ¶ (Nemine blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, ostendentes omnem mansuetudinem ad omnes homines.) Christianos omnibus hominibus humiles vult videri. sic enim possunt perfici ad futuram spem vocari. ¶ (Erasmus enim & nos quondam inconfulti, inobsequentes, errantes, seruientes desideris & voluptatibus variis, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odio nos inuicem habentes.) Hæc bona que incredulitas non habet, Christianis data memorat, ut in omni iustitia elucet, manifesti fiat quod dei cultores sint. Cum enim quondam inconfulti, nunc videtur per omnia sani esse consilii, laudatur in his deus. ¶ (Cum vero bonitas & humanitas illuxit salutaris dei nostri, non ex operibus iustitiæ quæ nos fecimus, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Christum IESVM saluatorem nostrum, ut iustificati gratia illius, heredes efficiamur secundum spem vitæ æternæ.) Hoc bonum quod in Christianis florere videtur, de radice pietatis diuinæ oritur. Deus enim misericordia sua saluos nos fecit per Christum, cuius gratia renati, spiritum sanctum accepimus abunde, ut bonis operibus inniti possimus, ipse nos in omnibus adiuvante, ut per hæc hereditatem regni cælorum assequi possimus. Quobrem omni deuotione huic

H obsequi debemus, & preceptis eius parere: quia quicquid in nobis pulchrum est, spiritalibus lineamentis ipse depingit. ¶ (Fidelis sermo, & de his volo te confirmare, ut scilicet sint ad effectum bonorum operum illi qui crediderunt deo. hæc sunt bona & vtilia hominibus.) Nihil tam apertum, quia misericordia atque humanitas bona est ad præfens, & vtilis in futurum. Ethic enim habet laudem, & in iudicii die coronam. Omnis enim deo credens misericordiam debet studere, per quam viuunt. Ut in hec ergo esset sollicitus rector populi, admonetur. ¶ (Stultas autem quæstiones, & originum enumerationes, & cōtentionem & pugnam legis deuita. sunt enim inutiles & vanæ.) Stultas has quæstiones appellat, quæ salutis effectum non habent, neque aliquam tribuunt scientiæ peritiam ad vtilitatem. His verbis multorum hæreticorum denotat dogmata. Quauis omnia quæ vera non sunt, stulta dicenda sint: alius tamen est qui res fabulosas inducit, & alius qui calliditate tergiversationis rem venenatam plenam proponit, ut est Arius & Potinus. Fabulosa autem non lex, sed hæresis est, quantum ad tempus

I pertinet illud Iudæorum, dum quidam eorum sibi vendicarent prærogatiuam originum patriarcharum, quæ de matrimonii ortu sunt, cum ex hoc nullum meritum sit apud deum. Quidam vero vireorum & cætorum vasorum baptismi, & sanguinem mustelæ magna cura expiandi: & quia ideo Moyse sepultura abscondita est, ne a Magis excitaretur, quod si verum esset, & cætorum sanctorum abscondenda fuerat sepultura. Et quia Salomon adiutorio dæmoniorum templum edificauit, in quo opere ingens multitudo laborauit, quid tam fabulosum? ¶ (Hæretici hominem post primam correptionem deuita, sciens quod peruersus est huiusmodi, & delinquit a semetipso dampnatus.) Hæretici hi sunt, qui per verba legis legem impugnant. Proprium enim sensum verbis astruunt legis, ut prauitatem mentis suæ legis autoritate cōmendat. Sciens enim impietas auctoritatem multum valere, fallaciam sub nomine eius cōponit: ut quia res mala per semetipsam acceptabilis esse non potest, bono nominis cōmendetur. Idcirco huiusmodi homines ut inexcusabiles sint, semel corripere oportet. Frequentius enim correpti, exercitiores fient in malo. Cogere autem illos videtur qui sæpe corripit, ut sollicitiores fiat ad perditionem multorum: ideo dimitte eos,

ut negligentiores effecti, soli forte depereant. ¶ (Cum misero ad te Arteman aut Tychicū, festina ad me venire Nicopolim. ibi enim statui hyemare.) Post epistolam datam etiam ipsum videre vult affectus causa, & ut plenius illum firmaret in ecclesiastica disciplina. ¶ (Zenam legis peritum & Apollo solite præmitte, ut nihil illis desit. Discat autem & nostri bonis operibus præfesse ad usus necessarios, ut non sint in fructuosi.) Vterque nobilis est sapientia & operibus, & idcirco iubet sumptus illis necessarios dari ab iis qui crediderat, ut refrigeraret: quia dignus erat ut qui spiritalia tradebant, non illis desent carnalia. Quauis enim Zenam legis peritum vocat, Apollo tamē perfectus erat in scripturis: sed quia Zenam huius professionis fuerat in Synagoga, sic illum appellat. ¶ (Salutant te omnes qui tecum sunt.) Propter cōpendium simul omnes consalutare illum significat. ¶ (Saluta eos qui nos amant in fide.) Illos salutatione sua dignos videri vult, qui fideliter illi diligunt affectu Christi domini nostri. ¶ (Gratia dei cum omnibus vobis.) Nunc generaliter omnes salutat fratres & domesticos Titii.

DIVI AMBROSII

II MEDIOLANENSIS EPISCOPI
COMMENTARIUM IN EPISTOLAM
BEATI PAULI AD
PHILEMONEM.

PRAEFATIO.

PHILEMON nulla erat ecclesiasticæ ordinationis prædix dignitate, sed vir laudabilis, vnus ex plebe. Cui causa Onesimi serui eius familiares literas facit, ut non solum ignoscatur ei, sed & deo gratias agat, quia talem illum recipit, ut non seruum æstimet, sed dilectissimum fratrem.

DAVLVS VINCTVS Christi IESV, & Timotheus frater Philemon dilecto fratri, & laborum nobis participi, & Appia sorori charissime, & Archippo cōmilitoni nostro, & domesticæ eius Ecclesiæ: Gratia vobis et pax a deo patre nostro, & dño IESV Christo.) Ut dignitatem epistolæ a se missæ faceret, ab iniuria sua coepit. Sicut enim peccati causa vinciri opprobrium est, ita e contra pro Christo custodiæ vincula sustinere, maxima gloria est. Eo enim tempore quo hanc epistolam misit, in custodia erat. Quauis clericus non fuerit Philemon, tamen intererat ecclesiasticis necessitatibus causa deuotionis. vnde participem hunc dicit laborum. Sunt enim multi, qui cum sint digni, excusant tamen, infimos semetipsos iudicantes tanti ministerii: vnde vere digni apparet. ¶ (Gratias ago deo semper, mentione tui faciens in orationibus meis, audiens fidem tuam & charitatem quam habes in dñm IESVM, & in omnes sanctos, ut cōmunicatio tua accepta fiat in agnitione omnis boni, quæ i nobis est i Christo.) Gaudere se dicit, & deo gratias referre in precibus suis, quia firmus erat in fide, & bonis operibus insistebat. Qui enim diligit Christum, probare hoc debet in seruos eius, sciens dominum sibi imputaturum quicquid cōstitit erogatū in seruis. Apostolus tamē hoc se dicit addere precibus, ut operatio eius cum cognitione fiat bonitatis, hoc est ut tali hoc mente operetur, ut in futurum huius rei expectet mercedem. ¶ (Gaudium enim magnum habui & consolatione super charitate tua, quia